



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von  
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

**Spirens., 1660**

37. An Praelatus delictum subditi Consultoribus suis, aut alijs viris  
gravibus manifestare possit ad eius correctionem?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11416**

norare, ut colligitur ex Calisto Papa relato in can. ponderet. 50. dist. ubi sic: si aliquis lapsus quocunq; modo fuerit, portemus eum & paterno corripiamus affectu, & paulò infra. S. David de criminibus mortiferis egit poenitentiam, & tamen in honore permansit. Iterum invigilare Superiores debent, ne fortè delator invidiâ, aut odio aliquo motus delictum alteri imposuerit, aut commissum exaggeraverit, ut proindè ob unius dictū nisi aliæ præsumptiones concurrerent, nunquam censerem debere Superiorem ab officio, & loco subditum remove. Est enim res nimis gravis, & quæ subditos valdè contristare solet. Vide Suar. tom. 4. de Relig: l. 10. cap. 12. n. 37.

37. Tertiò potest Prælatus alicui, vel aliquibus viris gravibus, ut consultoribus delictum subditi manifestare, si hoc necessarium est ad eius correctionem, quia in hac manifestatione utilitatem spiritua-lem delinquentis respicit, quæ levi illi detrimento famæ anteponenda est: ita expressè Torres. 2. 2. q. 33. disp: 89. dub. 4.

Dubitari potest, an si Prælatus immediatus Canobii possit se solo delinquentem

tem

tem à relapsu præcavere, peccet manifestando delictum Prælato mediato? Videtur quod sic, quia jam illa manifestatio delicti, expostulatur ut necessaria, & amissio famæ non habet finem paternæ delationis, quæ est fratris lucrum, cum absq; illa lucratus sit: DICES esto non expostuletur ut necessaria, expostulatur tamen ut conveniens, ne Prælatus mediatus ignarus huius delicti delinquentem exponat aliis similibus, vel gravioribus committendis. Fatetur ob hanc rationem Palus probabile esse nullum peccatum in tali manifestatione committi. Si enim probabile quibusdam habetur in materia detractionis revelare uni vel alteri viro gravi, qui magis prodesse possunt, quam obesse, non fore peccatum mortale etiam si ex levitate, vel loquacitate reveletur: à fortiori probabile erit, quando ea recto sine manifestatur, & ex alia parte non levis convenientia intercedit.

38. Verùm quia indè ostium aperitur manifestandi pluribus delictum commissum, probabiliùs censemus non licere Prælatum mediatum monere: nam si so-

lùm